



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

637. Quando, & qualiter exspiret exspectativa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

decisio huic innuitur rationi; quod primò impetranti facta sit gratia conditionalis; si enim absolute facta ei fuisset gratia in allocatione præbendæ, præferendus esset postea iori impetranti, juxta *c. ubi qui rit eod.* Laym, *ad cit. c. si pro te.*

Quæstio 636. *Qualiter habentes expectativam ad beneficium aliquod possint renunciare huic gratiæ, aut illam permutare?*

1. **R**espondeo ad primùm: possunt renunciare simpliciter, non autem in favorem; cum adhuc beneficium non sit virtualiter expectantis, ut illud in alium transferre possit. Laym, *in c. ad audientiam. num. 1.* Paris. *de resign. l. 2. q. 23. num. 14.* & 15. citans Gemin. *conf. 127. in fine Boer. decis. 308. num. 1.* cum communi.

2. Respondeo secundo, habentes gratias expectativas ad beneficia vacatura posse illis gratis renunciare absque auctoritate Superioris; quia cessat interesse Superioris; cum per eas non sit quæsitum jus in re, sed tantum ad rem. Laym, *l. c. Paris. loc. cit.* citans eisdem; & *l. 7. q. 1. num. 97. & 98.* citans Coraf. *de benef. p. 1. c. 5. num. 15.* addit tamen Paris. *num. 99.* non posse renunciare literis obtentis ad beneficia vacantia sine auctoritate Superioris; eò quod juri in re non possit renunciari absque Superiore, juxta Rotam *decis. 8. de jurep. in novis.* per expeditionem autem literarum & acceptationem videatur quæsitum jus in re beneficii vacantis, citat pro hoc Put. *decis. 90. n. 4. l. 1.* & DD. communiter *in c. si sibi. de præbendis. in 6.* posse tamen & istis gratis ad vacantia absque Superioris Auctoritate renunciari tacite, non capiendi possessionem illorum beneficiorum; cum per impetrationem non obligetur quis beneficio, nisi ceperit possessionem, juxta Abbat. *in c. ad audientiam. de rescript. ait idem Paris. loc. cit. nu. 99. & 100.* Porro si renunciatio expectativæ etiam ad vacaturum, fiat cum conditione seu pacto adipiscendæ pensionis aut beneficii, simoniaca est, Laym, *loc. cit.* citans Abb. *in c. ad audientiam. n. 6.* & Felin. *ibid. num. 11.* contra gl.

3. Respondeo ad secundum: sed neque permutare quis potest expectativam ad vacaturum cum beneficio; cum extendat se solum ad beneficii nondum vacans, & non tribuat jus in re, sed nequidem jus ad rem propriam. Laym, *loc. cit.* citans Jo. And. *in c. unic. de rerum permutatione. in 6.* & Suar. *To. 1. de relig. c. 33. de simon. num. 8.* ubi docet permutationes beneficiorum odiosas, ideòque non esse extendendas; cum sint concessionem quædam contra canones, quibus omnis pactio in spiritualibus est prohibita.

Quæstio 637. *Quando, & qualiter expirat Expectativa?*

1. **R**espondeo primò: dum expectans conficitur beneficium impossibile cum eo, ad quod habet expectativam, *c. si pauper clericus. de præb. in 6.* Laym, *in c. ad audientiam. de rescript. n. 1.* item Paris. *de resign. l. 1. q. 1. num. 19.* citans Calder. *conf. 5. de præb. Anch. conf. 214. num. 4.* Rom. *conf. 356. num. 1.* & ait, sic sentire omnes in *c. si pauper.* hæcque intelligenda, dum subsecuta est possessio pacifica dicti beneficii incompatibilis; Laym, *loc. cit.* Paris. *loc. cit. num. 10.* citans plurimas Rotæ *decis.*

2. Secundo, expirat morte concedentis, seu mandantis conferre vacaturum, nimirum Papa

dum res adhuc est integra; cum talis expectativa sit gratia non facta, sed facienda, utpote ad incertum, & nondum vacans beneficium collata, nullam omnino provisionem ex parte Pontificis continens; sed merum providendi mandatum, quod morte mandantis expirare solet. Laym, *ad c. si super. de off. & pot. jud. de leg. num. 2.* ubi tamen ait, secus esse in gratis jam factis (qualem esse ait, dum Pontifex mandat alicui conferri beneficium jam vacans; quia Pontifex, quantum est ex parte sua, jam per tale mandatum fecit gratiam) seu eas non expirare morte concedentis; neque etiam executionem talis gratiæ suspendi per mortem concedentis, etiam, dum res adhuc est integra, imò etiam si ista gratia necdum acceptata, & executio esset non mera, sed mixta cum aliqua cognitione cautæ; ut dum Papa mandaret in forma *dignum* conferri beneficium vacans, citatque pro hoc Sanch. *l. 8. de matrim. d. 28. num. 43.* Gutt. *qq. can. l. 2. c. 17. & c.* aitque id non solum in gratis beneficii Ecclesiastici, sed & dispensationis, absolutionis & c. tenere. Quinimo secus esse ait, dum Papa alicui canonicam ipse conferret, & insuper mandaret Canonicis v. g. aut officiali Episcopi, ut præbendam proximè vacaturam eidem conferant: eò quod in hoc casu gratia est facta à Papa, & executio alteri demandata; citat pro hoc Glos. *in c. si cui. de præb. in 6.* & Garc. *p. 6. §. 3. num. 305.* Tradit quòque Lott. *l. 1. q. 29. num. 34.* quòd, si Papa concessisset expectativam de beneficio vacaturo cum clausula simili: *ex nunc prout ex tunc: gratiam illam usque adeò dici perfectam, ut non expiraret morte concedentis; eò quod per talem clausulam inducta sit talis effectus, & consummatio actus, & sic decisum ait à Rota in Calaguriana Canonicius.* Vide tamen, quæ ibi subdit *seq. n.*

3. Tertio, expirat per renunciationem expressam vel tacitam; vide plura de his dicta in precibus primariis, quæ huc applicari possunt.

Quæstio 638. *Quando nam expectativa censentur irrita?*

1. **R**espondeo primò: si habens literas Papales ad beneficium vacaturum proximè ipsi renunciaret cum pacto, ut pensionem vel aliud beneficium consequatur, & postea, tacito, quòd jam prius aliam expectativam obtinuerit: quin etiam, si id exprimat, & solum taceat dictam pensionem (si ea jure ac titulo beneficii Ecclesiastici constituta sit) esto, simoniacè obtineatur, expectativa posterior seu secunda est obreptitia, & ipso jure irrita. Laym, *ad c. ad audientiam. de rescript. num. 1. c. 3.* ac ita etiam omnia alia, quæ occasione illius, sive propter illud acta sunt pro irritis haberi debent; ruente enim principali, ruit etiam accessorium; Laym, *ibid. num. 4.* Idem ferè tradit Laym, *ad c. in nostra. de rescript. num. 6. & 7.* ubi, quòd, si quis expectativam consecutus sit, & vel eodem tempore sub eadem data, vel sub diversa aliam expectativam ad aliam Ecclesiam impetrat, posterior expectativa irrita erit, præterquam si constet, aut probari possit, priori renunciatum esse; cujus ratio est, quòd taciturnitas illius prioris expectativæ est taciturnitas rei intrinsecè pertinentis ad rescriptum posterius; quia si Papa veritatem cognovisset, non dedisset, aut certò alio modo dedisset illas posteriores expectativas; ac proinde, cum vel sic (nimirum si duæ vel plures expectativæ, aut similia rescri-